

/ Ill^{me} et R^{me} Domine. Revertitur in Germaniam Reverendus Dominus decanus Fuldensis, quem ego pro viribus meis iuvi apud Sanctissimum Dominum; quod uod probe noverim illum esse vere catholicum et unice dilectum D. Balthassari abbati pirae memoriae, cum quo mihi magna intercedebat amicitia. Atque rutinam hic vir Domino Balthassari successisset! Feci quod potui in eo iuvando, sed non quod volui; et cardinales deputati in eius causa satis aperte iudicaverunt, apud eum esse iustitiam, quod Ill^{ma} et R^{ma} Amplitudo vestra ex incluso exemplo brevis apostolici intelligere poterit. Supererat exequutio brevis et sententiae latae. Sed iustis de causis, visum est postea magis expedire ut per concordiam pacificam res tota finiretur. Et quoniam audiui partes angeli pacis datas esse Ill^{mae} Dominationi vestrae, nolui committere ut sine meis commenditiis litteris ad Amplitudinem vestram directis amicus hic nos-
10 ter discederet. Commendo igitur illum eo affectu quo possum maximo, non ob meam utilitatem (nam et ipse testari potest oblata ab eo munera me semper et omnino reiecisse), sed in gratiam fidei catholicae et honoris divini, cuius zelum ardere in corde vestro, ut par est, nihil dubito.

20 Quod autem cupio et peto, illud est, ut concordia fiat salva iustitia domini decani, ut nimirum restitutio in integrum sit una ex conditionibus, et ut non cogatur idem decanus ad aliquid promittendum, praesertim sub iuramenti sacramento, quod sine praeiudicio ecclesiae praestari non possit. Quod si etiam fieri posset
25 ut haeretici ab aula abbatis eiucerentur, id vere gloriosum esset nomini vestro, et toti illi monasterio salutare. Scio me nullum habere praecedens meritum apud Ill^{mam} et R^{mam} D. V^{ram}, sed ex charitate, qua unum sumus in Christo, commendo fratrem hunc nostrum benignitati et gratiae Amplitudinis Vestrae; et ego vicissim paratus
30 sum in obsequium Ill^{mae} Dominationis V^{rae} operam meam, si unquam utilis esse poterit, diligenter impendere. Opto Ill^{mam} et R^{mam} D.

Vram bene valere, et in pascendo grege dominico ita se gerere ut à Principe pastorum in die iudicii laudem et gloriam amplissimam percipere mereatur. Datum Romae die 7^a Martii 1610.